

DE IMPOSITIONE MANVVM. Fo. III.

obligationes, quæ sub electione, aut paulo post ab eligendo vel electo, haud præter symoniæ labem extorquentur. Et procedat de vultu dei opus ipsius, vt scilicet, qui præstantior est omnibus, qui doctior, qui sanctior, qui in omni virtute eminentior, hic eligatur.

Hiero. 8. q. 1.  
c. licet. & c.  
Si ergo.

In confirmatione electionis, quæ expédenda. Cap. X.

**E**lectione facta, Nos & cæteri qui confirmationis munus impendemus, officio nostro, deo volente nõ deerimus, discussuri scilicet diligenter, & formam electionis, & electi merita, priusquam nostras imponamus manus.

Per patronos, idoneos præsentari oportere. Cap. XI.

**P**atroni tum ecclesiastici, tum laici (quos hac de re diligenter admoneri curabimus) videbunt, vt idoneos (quemadmodum ante diximus) Archidiaconis præsentent. Compertum siquidem habemus, q̄ hic supra modum peccetur. Sunt em̄ qui tantum filios ac consanguineos, seu aliter ipsis addictos citra vllum defectum, aut discrimen scientiæ, morum, ac ætatis, beneficijs ecclesiasticis admouent. Sunt qui ad motis nomē tantum relinquunt, censum autē atque ecclesiasticos redditus, sibi ausu quodam sacrilego (nihil minus quam de ecclesiastico ministerio cogitantes) vsurpant. Quæ omnia cum sanctorum patrum sanctionibus damnentur, multorumq; malorum in ecclesia dei causa sint, posthac non committi, sed sublata penitus esse, suamq; vim canonicis regulis constare ex animo cupimus.

Alexā. ff. c.  
Ex frequentibus de insti.

Quid incumbat Archidiaconis. Cap. XII.

**A**rchidiaconi nostri, ad quorum curam inter alia pertinet, vt nostro nomine parochias ordinent, ac ministros ecclesiæ ipsis præsentatos ac oblatos inquirent. Scient sui muneris esse, negligentiam patronorum supplere. Cum enim oculi nostri sint, dispicient, ne quis alioqui indignus, sub alius cuius præsentationis prætextu irrepat ac admittatur. Nec contenti quod post edicta ter publicata, nusquam compareat, qui præsentationem oppugnet, eorum etiam qui ipsis præsentantur, & ad instituendum offeruntur, vitam, mores, & eruditionem accurate peruestigabunt, ac nisi cõperti illi fuerint, muneri, cui præfici postulantur, pares, fore nefas putabunt stulte petentibus assentiri. Neque existimabunt id temporis, quod huic examini impendent, perditum nequaquam possit collocari melius. Maxime quod officium eorum hoc ipsum vt fiat, magnopere requirat.

c. 1. & c. ad  
hæc de offi.  
Archidia.

c. finali de  
elect. in vi.

Aliquot abusus Officialium inter visitandum corrigendi. Cap. XIII.

**E**t quoniam ad nos quorundam querela perlatum est, nonnullos Officialium Archidiaconorum nostrorum inuestituræ nomine plus æquo interdum petere, quosdam etiam institutionem ipsam petentibus, vel temere ne-

A iij gare